

tinet spacium ad earum longitudinem efficitur incomparabile  
 sensu, eo modo quo demonstratur in Opticis. Hoc nimirum ar-  
 gumento satis apparet, immensum esse cælum comparatione  
 terræ, ac infinitæ magnitudinis speciem præ se ferre, sed sensus  
 æstimatione terram esse respectu cæli, ut punctum ad corpus,  
 & finitum ad infinitum magnitudine, nec aliud demōstrasse ui-  
 detur. Neq; enim sequitur, in medio mundi terram quiescere  
 oportere. Quin magis etiam miremur, si tanta mundi uastitas  
 sub  $xxiiii$ . horarum spacio reuoluatur potius, quàm minimū  
 eius quod est terra. Nam quod aiunt centrū immobile, & pro-  
 xima centro minus moueri, non arguit terram in medio mundi  
 quiescere: nec aliter quàm si dicas, cælum uolui, at polos quiesce-  
 re, & quæ proxima sunt polis minime moueri. Quemadmodū  
 Cynosura multo tardius moueri cernitur, quàm Aquila uel Ca-  
 nicula, quia circulū describit minorem proxima polo, cū ea om-  
 nia unius sint sphæræ, cuius mobilitas ad axem suum desinens,  
 omnium suarum partium motum sibi inuicem non admittit æ-  
 qualem, quas tamen paritate temporis non æqualitate spacij re-  
 uolutio totius reducat. Ad hoc ergo nititur ratio argumenti,  
 quasi terra pars fuerit cælestis sphæræ, eiusdemq; speciēi & mo-  
 tus, ut proxima centro parum moueatur. Mouebitur ergo & ip-  
 sa corpus existens, non centrum sub eodem tempore ad similes  
 cælestis circuli circumferentias licet minores. Quod quàm fal-  
 sum sit luce clarius est, oporteret enim uno in loco semp esse me-  
 ridiem, alio semper mediam noctem, ut nec ortus nec occasus co-  
 tidiani possent accidere, cum unus & inseparabilis fuerit motus  
 totius & partis. Eorum uero quæ differētia rerum absoluit, lon-  
 ge diuersa ratio est, ut quæ breuiori clauduntur ambitu, reuolu-  
 uantur citius, ijs quæ maiorem circulum ambiunt. Sic Saturni  
 supremum errantium sydus trigesimo anno reuoluitur, & Lu-  
 na quæ proculdubio terræ proxima est, menstruum complet  
 circuitum, & ipsa deniq; terra diurni nocturniq; temporis spa-  
 cio circuire putabitur. Resurget ergo eadē de cotidiana reuolu-  
 tione dubitatio. Sed & locus eius adhuc quæritur minus etiā ex  
 supradictis certus. Nihil enim aliud habet illa demonstratio, q̄  
 indefinitam cæli ad terrā magnitudinē. At quousq; se extendat  
 hæc immensitas minime constat.

Cur